

DISSERTATIO II.

DE SPECIEBUS JURIS REALIS.

Jurisconsultorum consensu quinque sunt juris in re, sive realis species; I. Dominium L. 13. §. 1. C. de Judic. Unde proprie *rei* vindicatio oritur §. 2. J. et tot. tit. ff. et C. de R. V. II. Servitus L. 30. ff. de noxal. Action. Unde actio confessoria et negotatoria t. t. si Servit. vindic. III. Jus hæreditarium L. 5. §. 5. ff. de his, qui effud. Unde hæreditatis petitio t. t. ff. et C. de hæred. petit. IV. Pignus L. 30. ff. de noxal. Act. Unde actio hypothecaria §. 7. J. de Act. V. Possessio arg. L. 1. §. 1. ff. de Superfic. L. 44. pr. ff. de Acquir. possess. Unde interdicta retinendæ possessionis §. 4. J. de Interdict. At considerata jam generatim dominii natura, hic solum dominii imperfecti atten-demus species, Feudum, Emphyteusin, Libellum, Superficiem; de Pignore vero opportunior agendi locus erit, ubi de Contractibus, quo Theologorum more communius refertur, disseremus. Hunc vero in Dissertatione præsenti tenebimus ordinem, ut 1^o. de Servitutibus, ceu leviore juris realis specie; 2^o. de Feudo, Emphyteusi, Libello, Superficie, 3^o. de Jure hæreditario; 4^o. de Possessione agamus.

CAPUT I.

DE SERVITUTIBUS.

Non movetur hic controversia de servitute personarum, vel mancipiorum, qua homo subjicitur dominio alterius, de qua §. 2. J. de Jure Personar. et nos Diss. seq. agemus, sed de servitute rerum, qua res una servit alteri vel rei, vel personæ, de qua §. 1. J. de Servitutib. ac ff. h. t. Unde aliæ reales sunt, aliæ personales; ad has ususfructus, usus, habitatio pertinent; cæteræ ad reales, de quibus singulis nunc disseremus.

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTPLEX SIT SERVITUS?

67. Dico I. Servitus est jus reale, in re aliena alteri constitutum, ut dominus rei in commodum alterius aliquid in ea pati, vel non facere teneatur, salva rei substantia, L. 13. §. 1. ff. de Servitutib. Ille igitur, qui jus exi-

exigendi habet a domino rei , ut in hac aliquid patiatur fieri , vel ipse non faciat , servitutem *activam* habere dicitur ; alter vero *passivam*.

Dictum 4º. In re *aliena* , quia res mea , propria mihi non servit L. 3. pr. ff. se ususfruct. pet. sed rebus propriis jure dominii utimur. 2º. Vel non facere teneatur , sive teneatur omittere ; quia quædam servitutes activæ tantum impediunt , ne quid fiat , ut ne in domo tua aperiatur fenestra , qua possis in hortum meum prospicere. Hinc quædam servitutes sunt *affirmativa* , quædam *negativa*; hujus exemplum est hoc ipsum jus , ut in re aliena aliquid non fiat; velut ne aperiatur fenestra in hortum meum , quæ idcirco verbis negativis exprimuntur , ut non prospiciendi , altius non tollendi; affirmativa contra est jus in re aliena aliquid faciendi , quod dominus rei pati debet; ac propterea verbis affirmatiis indicatur , ut ire , aquas ducere per fundum alienum.

68. Dico II. Servitus dividitur 1º. in realem et personalem. *Realis* , sive prædialis , est jus , quo res , sive præmium unius obligatur rei sive prædio alterius , L. 10. ff. *Comm. præd.* ut si ager tuus debeat servire meo pro aqua in meum introducenda , vel , ut per eum in meum transeam. Hæc servitus manet affixa rei sic , ut , ad quemcumque pervenerit ager tuus , possim per eum transire. Res vero , que ita subjicitur rei alteri , dicitur *serviens* ; illa contra , cui subjicitur , *dominans*. *Personalis* est jus , quo res , vel præmium alienum personæ servit L. 1. ff. h. t. cujus species sunt , ex dictis supra , ususfructus , usus , habitatio. Servitutes personales , etsi et ipsæ rei affixæ sint , ita ut , ad quemcumque res tales , velut fundus usufructuarium pervenerit , habens usumfructum possit fructus capere invito domino , proprie tamen persone , cui debentur , inhærent , cumque hac exspirante perse exspirant , nec ad quoscumque haeredes transmitti possunt , secus ac reales.

Dividitur 2º. in urbanam et rusticam. *Urbana* est , dum præmium alienum vicino prædio urbano servit. *Rustica* , dum præmium alienum servit prædio rustico. Differunt vero præmium urbanum et rusticum non loco , sed fine et usu , cum rusticum in urbe , urbanum vero esse ruri possit; per præmium enim *urbanum* intelligitur ædificium omne principaliter habitandi causa ordinatum , sive in urbe , sive extra urbem , cui accensetur domus recreationis , velluci causa exstructa , item hortus annexus ob voluptatem ; per *rusticum* e contra , quod est principaliter agriculturæ causa comparatum , ad fructus colligendos , recipienda pecora etc. ut ager , pratum , vinea sive in urbe sive extra urbem , annexaque ædificia , ut stabula , horrea , quæ non serviunt habitationem hominum , suntque ab habitaculo separata; nam conjuncta prædio urbano , hoc sequentur velut accessoria principale. Dictum vero , prædio *vicino* ; vicinitas enim prædiorum ad servitutem requiritur , cum , secus , utilitatem sibi præstare non possent. Vicinitas tamen illa non tam ex *continguitate* , quam *utilitate* aestimanda est ; hec enim posterior necessaria est semper , non ita prior. L. 1. pr. L. 38. et 39. ff. de *Servit. Urb. præd.* L. 7. §. 1. ff. et L. fin. C. de S. R. P.

Species servitutis rusticæ sunt 1º. Servitus itineris , sive *iter* , est jus *eundam* , etiam cum socio per fundum alienum ; etiam ope lecticæ , L. 7. ff. de S. R. P. 2º. *Actus* , jus agendi jumentum , vel vehiculum per alienum fundum. 3º. *Viae* , in hoc differens ab *actu* , quod certam a jure latitudinem

habeat , octo scilicet pedum , L. 8. ff. de S. R. P. Jus actus et itineris simul continet ; et qui viam habet , lapidem , ac lignum trahere potest , hastamque erectam ferre , non autem qui actum , aut iter habet. Cæterum per viam hic *privata* intelligitur , per agros nimirum privatorum concessa ad utilitatem alterius prædii ; non *publica* , qua nimirum ut licet omnibus , quæque ad regalia pertinet. 4º. *Aquæ ductus* , jus aquæ ducendæ per alienum fundum. 5º. *Aquæ haustus* , jus aquam hauriendi ex alterius flumine , fonte vel puto semper scaturiente , L. 1. 2. ff. cod. 6º. *Appulsus pecoris ad aquam* , jus agendi pecora nostra ad fontem , vel aliam prædi alieni aquam. 7º. *Jus pa-scendi* , scilicet pecora nostra in fundo alterius. Adde jus calcis coquendæ , arenæ fodiendæ , pedamenta sumendi , lapides cedendi , lignandi , etc.

Species servitutis urbanae sunt 1º. Servitus *oneris ferendi* , jus , vi cuius pati tenetur vicinus tuus , quod v. g. murus in area ejus positus sustineat onus tuarum ædium. 2º. *Tigni immittendi* , jus , vi cuius ex ædibus tuis in vicini parietem trabem , vel oblongum lapidem potes immittere , ut in eo quiescat. 3º. *Stillicidii* ; illudque vel *avertendi* , estque jus , vi cuius aquam pluviam ex tecto meo in tectum vel aream vicini derivandi ; vel *non avertendi* , estque jus , vi cuius vicinus impedire nequit , ne aqua pluvia ex ejus tecto derivetur in meam aream , vel cisternam , vel hortum , etc. 4º. *Altius tollendi* , scilicet ædificium , vel ædes tuas invito vicino ; vel *altius non tollendi* , sive jus prohibendi , ne vicinus , cui alias ex libertate naturali licebat ædificare altius , ultra certam mensuram altius ædificet , L. 11. ff. de S. U. P. Citra hanc igitur servitutem non potes vicinum cogere , ut ædes habeat depressas , excepto casu uno , si publicæ noceatur utilitati , puta si vicinus ab ea parte horrei ædificare vellet altius , qua vento indiges , L. fin. §. fin. C. de *Servit.* Par est ratio si quid ædificare vellet prope molendinum pneumaticum , etc. 5º. *Luminum* sive fenestrarum , jus , vi cuius vicinus tenetur pati , ut per fenestram vel in ejus proprio , vel communī pariete positam apertamque , lumen tuas in ædes incidat. 6º. *Ne luminibus officiatur* , jus , vi cuius nequit vicinus facere , ut lumen tuis ædibus adimatur per ædificium , positas arbores ; huc adde servitutem *prospectus* , sive jus prospiciendi in vicini hortum , aream ; item obligandi vicinum ne huic tuo propectui officiat. 7º. *Projiciendi* , seu protegendi , jus producendi ædificium extra parietem , in viam , vel vicini aream , ita tamen , ut non quiescat in alieno.

His adde servitutem *cloacæ* , jus sordes in area tua collectas per fundum vicini deducendi per locum cavum ; *effundendi* aquam in vicini aream , *fumi immittendi* in vicini ædes , similesque , de quibus Inst. h. t. ff. de S. U. P. L. 1. 4. ff. de *Cloac.*

Dividitur 3º. in continuam , quasi continuam , discontinuam. *Continua* est , cujus usus , quantum est de se , perpetuo durat , ut servitus aquæ ductus. *Quasi continua* , cujus usus non quidem semper durat actu , tamen utpote pendens a causis naturalibus non continuo operantibus semper est in potentia et præparatione , ut servitus stillicidii. *Discontinua* , cujus usus non semper est , quia pendet a libera voluntate hominis , ut servitus itineris per agrum tuum. Demum alia *nominata* dicitur , quæ certum in jure nomen habet ; alia *innominata* , quæ non habet.

69. Dices 1. Ex conclusione prima sequeretur , quod , si quis jus habeat iii. p. 2.

exigendi certos reditus ex tuo fundo, in hoc sit constituta servitus, quia teneris pati, ut alter exigat fructus; at hoc repugnat L. ult. ff. de contrah. empt. qua dicitur, quod talis emptor, fundo tali vendito, non teneatur ad solvendos illos reditus; teneretur autem, si esset constituta servitus.

R. N. seq. Maj. Quia *jus exigendi* est tantum *jus personale*, vel ad rem, nec propter *jus solum* exigendi licet, te invito, fructus ex fundo capere, sicut licet, si esset constituta servitus; nam ubi servitutem habeo, ea, domino etiam invito, uti possum. Hinc arguunt Jurisconsulti, quoties reditus annui ex certo fundo verbis precariis et ad haeredem directis ita legantur, ut legatus eos ab haerede accipiat (similis est casus legis) non censeatur ususfructus relictus, sed legatum annum: contra si verba dirigantur ad legatarium hoc modo: volo, ut Titius percipiat fructus, ita ut eos ipse capiat, servitus legata censeatur; ut proinde ad quemcumque dominium fundi transierit, hac affectum servitute permaneat.

70. Dices 2. Potest alicui constitui servitus sine utilitate; ergo. Prob. Ant. ex L. 49. ff. h. t. ubi: *fundo, quem quis emit, servitutem imponi, etsi utilis non sit, existimo, velut, si aquam alicui ducere non expediret, nihilominus constitui ea servitus possit; quædam enim habere possumus, quamvis utilia non sint.*

R. D. Ant. Sine utilitate remota etiam, radicali, vel in actu primo N. Sine utilitate actuali C. Nam licet de praesenti nondum sit utilitas, eo quod prædium tuum modo aqua non egeat; potest tamen evenire, ut aliquando egeat; et sic jam modo utilis est aquæ ductus remote et in actu primo, quod sufficit, cum non requiratur, ut semper adsit actualis utilitas.

71. Dices 3. Etiam amoenitatis duntaxat causa constitui servitus potest, L. 3. pr. ff. de *Aqua quotid. juncta*, L. 41. ff. de *Usufr.*; ergo.

R. D. Ant. In prædiis præcise voluptuariis C. In aliis non voluptuariis N. Priora exstruuntur solius voluptatis gratia, in quibus proinde tota utilitas est in amoenitate posita, hæcque prioris nomine continetur. Secus est de prædiis non voluptuariis.

72. Dices 4. Si cui constituantur jus spatiandi per alterius prædium, in eo coenandi solius voluptatis gratia, tali juri convenit tota definitio servitutis; et tamen non est servitus, ut dicitur L. 8. ff. de *Servit*; ergo.

R. N. Huic juri convenire totam definitionem; nam 1º. non convenit definitio servitutis realis, cum jus hoc nihil conferat ad utilitatem alterius prædii; 2º. non personalis, quia et hæc ad capiendam ex alieno prædio utilitatem a jure ordinantur, non solum voluptatem; unde et hæc tres solum a jure servitudes personales admittuntur, ususfructus, usus, habitatio. Jus igitur illud est tantum jus ad rem, ut vult communis cum *Accursio*.

73. Dices 5. L. 198. ff. de V. S. prædium urbanum facit materia: atqui etiam hæc prædium rusticum facit; ergo inutilis est illa divisio inter servitudes urbanas et rusticas, sicut inter prædium urbanum et rusticum, a quibus illa servitutum orta distinctio; si enim, cum eamdem habeant materiam, non sit inter illa discrimen, nec inter servitudes erit.

R. D. Ant. Facit materia *ex qua* N. circa quam C. Materia ex qua sunt lapides, ligna et similia; hæc utriusque prædio communis est; sed hinc non petitur prædiorum differentia. Materia *circa quam* hic est objectum circa, vel propter quod fiunt prædia, sive est *usus* vel *finis*, qui diversus est.

Si ait: Sed L. cit. omnia ædificia, etsi in villa ædificata, dicuntur urbana, ut stabula.

R. D. Dicuntur urbana absolute N. Restrictive, de iis scilicet ædificiis, quæ, etsi in villa sint, usum tamen urbanum habent C. Si prædium, etsi ruri, principaliter exstructum inhabitacionis causa, urbanum est, quod cætera ædificia omnia, stabula, etc. tanquam principale sequuntur.

74. Dices 6. Ad omnem servitutem realem requiritur continuitas, vel perpetuitas causæ, sive causa continua, h. e. *naturalis*, L. *Foramen* 28. ff. de S. P. U. Ergo male divisa est servitus in continuam, et discontinuam; hæc enim causam, nec continuam, nec *naturalem* habet; ac proinde multæ servitutes ex earum, quas retulimus, numero expungendæ, ut servitus effundendi, et ejusmodi; nam in cit. L. negatur esse servitus, si quis in imo pariete conclavis foramen proluendi pavimenti causa; idcirco, quod nihil illuc aquæ de cœlo veniat.

R. D. Ant. Requiritur continuitas, vel perpetuitas causæ aliqua saltem, sive aptitudo naturalis ad utendum servitute perpetuo C. Continuitas causæ determinate *naturalis*, id est, quæ pendeat a causa naturali stricte sumpta, ut pluvia subd. Spectato jure Romano solo C. Hodie nro usu et praxi N. Etsi non semper quis servitute utatur *actu*; sufficit tamen, quod res, quæ servituti causam præbet, ita a natura sit comparata, ut quis servitute uti perpetuo possit. Sic in aquæ ductu, haustu, appulso, causa perpetua est fons; in prospectu lumen; in stillicidio ac flumine pluvia, etc. Etsi igitur non assiduo pluat; quia tamen, cum pluit, semper naturaliter eodem modo pluit, stillicidium causam dicitur habere perpetuum. Sic omnium servitutum continua quasi possessio est, etiam tunc, cum usus earum intermititur, animo refenta.

Quoad alterum vero, quod causa aptitudinaliter continua debeat esse præcise *naturalis*, hæc scrupulosa juris Romani subtilitas non amplius attenditur; sed etiam id, quod causam industrialet habet, cuius exemplum in ipsa cit. L. *Foramen* extat, instar servitutis valere, consentiunt Jurisconsulti GROENW. de LL. abrog. ad dictam L. *Foramen*, BRUNNEM. ad eam. L. n. 5., MANZ. ad tit. de S. U. P., PICHL., in Jur. Can. ad Lib. II. Tit. 16. n. 58. cæterique.

ARTICULUS II.

QUOMODO CONSTITUATUR ET FINIATUR SERVITUS?

75. Dico I. Nunquam sine prædiis constitui servitudes possunt; neque potest quis servitutem acquirere prædii vel urbani, vel rusticæ, nisi habeat prædium. Est regula generalis, tradita textu claro §. 3. Inst. de *Servit*. Ac ratio in specie partis prioris est; quia servitus quid accessorium est, quod sine principali nequit consistere. Nec obstat L. 10. ff. de S. R. P. qua asse-

ritur, licere servitutem, ædificio nondum ædificato, constituere; id enim de promissione servitutis intelligendum; promitti enim poterit ædificio futuro; ast non tamen prius actio hinc dabitur, quam ædificium fuerit absolutum. Non tamen in acquisitione servitutis requiritur, ut quis dominium habeat prædiū irrevocabile aut plenum; sed sufficit, dummodo adsit revocabile, L. 44. §. 4. ff. quemadm. Servit. amitt., aut imperfectum, directum scilicet, vel solum utile; quia hac ratione melior redditur alterius conditio, quod regulariter licet. Proinde vasallus, emphyteuta possunt fundo feudalī, emphyteutico servitutem acquirere, 2. Feud. 28. §. si Vasallus. Prohibetur tamen usufructuarius L. 45. §. fn. ff. quemadm. Servit. amitt. L. 2. ff. si Servit. vind. quia videlicet hic præmium non habet, cui acquirenda servitus.

Si ait: Ad imponendam, vel constituendam servitutem a domino ipso, requiritur in hoc dominium plenum et irrevocabile; ergo etiam ad acquirendam.

R. N. Cons. *Disparitas* est, quia regulariter non licet conditionem aliorum reddere deteriorem, L. 74. ff. de R. I.; ergo qui dominium plenum et irrevocabile non habet, in præjudicium alterius imponere aut constituere servitutem non potest. Hinc maritus servitutem imponere nequit fundo dotali, utpote civilis tantum ejusdem dominus, L. 5. ff. de Fund. dot. Nec vasallus fundo feudalī, 2. Feud. 8. §. e contrario. Nec emphyteuta rei emphyteuticae: minime vero usufructuarius rei usufructuariæ, L. 43. §. 4. de Usufr. et tutor fundo pupilli, cuius ne dominium quidem imperfectum habet, utpote merus administrator. In casu vero consequentis res melior redditur acquisitione juris novi, quod regulariter prohibitum nemini.

Si dicas porro: L. Lex vectigali. 31. ff. de Pignorib. et Hypoth. etiam iis, qui utile aut revocabile dominium habent, constituere servitutem permittitur; ergo non semper requiritur dominium irrevocabile ac plenum.

R. D. Ant. Iis permittitur constituere servitutem proprie dictam, quæ scilicet perpetuo afficiat præmium N. Tempore, duraturam quamdiu eorum subsistit dominium C. Hoc solum vuli cit. L. Et vero sic domini directi non redditur deterior conditio.

76. *Dico II.* Servitus generatim constituitur 1º. auctoritate legis, juxta L. ult. C. de Servitut. et aqua. Sic constituitur ususfructus patri in bonis adventitiis filiifamilias, matri transeunti ad secundas nuptias in certis bonis a primo marito acquisitis, vel ex successione unius filii prioris matrimonii.

2º. *Judicis* auctoritate, ut v. g. si Judge in judicio familie erciscundæ, aut communi dividendo dividitur hereditas, vel res communis; tunc enim postulante ita prædiorum natura, quæ dividuntur, constituere pro officio potest, ut unum serviat alteri, L. 22. §. sed etiam. ff. famil. erciscundæ.

3º. *Conventione*, et *ultima voluntate*; habens enim liberum rei sue dominium, ut potest pacto, vel ultima voluntate jus suum omne transferre in alium, sic multo magis juris sui partem, alteri servitutem concedendo.

4º. *Præscriptione*, L. ult. C. de præscript. long. temp. Ac quidem servitutes reales continuas et quasi continuas, itemque personales, saltem cum titulo acquiri tempore longo, id est, 10. annis inter præsentes, 20. inter absentes, satis certum est ex L. 10. ff. si Servit. vind. L. 16. C. de Usufr. L. ult. C. de præscript. cit. Quoad discontinuas quedam est dissensio. Negant MOLINA,

GAIUS, HAUNOLDUS. Affirmant communius alii. Et merito, 1º. quia L. ult. cit. servitutes, sine discrimine inter continuas et discontinuas, dicuntur acquiri longo tempore: 2º. quia L. 5. §. penult. ff. de itinere, actaque private id asseritur; sed haec sunt servitutes proprie discontinuae.

3º. Ab omni, qui prædiū plenus est dominus, ut supra dictum, et cui a jure non prohibita alienatio; constitutio enim servitutis species alienationis est, qua pars juris alteri ceditur.

77. *Dico III.* Finitur servitus realis 1º. confusione, si unus idemque fiat utriusque prædiū, dominantis et servientis dominus, L. 30. ff. de S. U. P. L. 4. ff. quemadm. Servit. Ac ratio est, quod res propria nemini serviat, L. 10. ff. Comm. Præd. Et quidem servitutis per confusione extinctæ, ac sublatæ, si rem tibi servientem emisti, natura perpetua est, h. e. non reviviscit; unde si rem eamdem rursum vendas alteri, vel nominatum rursum imponenda est servitus, vel emptori novo libera veniet L. 30. cit. Aliud vero est 1. si servitus fuerit aditione confusa; tunc enim non tam extincta, quam suspensa censetur. Hinc si, adita hereditate, fundum tuo servientem capias, eumque vendas, redintegratur servitus, L. 9. ff. Comm. præd. Ac generaliter L. 18. ff. de Servit. statuitur: *In omnibus servitutibus, quæ aditione confusæ sunt, responsum est, doli exceptionem nocturam legatario, si non patiatur eas iterum imponi.* 2. Si mulier fundum mariti fundo servientem ei dederit in dotem; tunc enim, soluto matrimonio, reviviscit servitus, L. 7. ff. de Fund. dot.

2º. *Remissione*; eaque vel directa et expressa; vel indirecta et tacita, L. 8. ff. quemadm. Servit. amitt. Posterior exemplum est: dum tibi concedo in tota mea area, in qua jus stillicidii mihi competit, extruere ædificium, hoc ipso remisisse censeor jus stillicidii, vel effundendi, vel simile.

3º. *Interitu* alterutrius prædiū, dominantis, vel servientis; non tamen absolute et perpetuo; sed restituitur servitus restituto prædio, L. 14. ff. quemadm. Servit. amitt. L. 20. et 31. ff. de S. U. P. L. 35. ff. de S. P. R.

4º. *Non usu*, si neque per te, neque per alium servitute tua activa utaris, hoc jus tuum extinguitur absolute, resque tibi antea serviens evadit libera, L. 10. 19. 20. ff. quemadm. Servit. amitt. L. 4. ff. de Usurpat. et Usucap. Ut vero non usu extinguatur servitus, pariter 10. anni inter præsentes, 20. inter absentes requiruntur et sufficiunt, ita generaliter statuente L. 13. ff. de Servit. et aqua. Nisi ex conventione servitutis usus esset notabiliter interruptus, ut alternis tantum mensibus, vel annis ea uti licet; tunc enim duplicatur tempus, ac inter præsentes 20., inter absentes 40. requiruntur, ut non usu extinguatur servitus; securus vero manet prius tempus, si interruptio sit modica, ut si partes convenissent pacto, ut alterno tantum die, vel de nocte uti servitute liceat. Ita WEIZENEGG. Haecque vera sunt de extinctione servitutis debitæ laicis. Utrum idem tempus sufficiat ad extinctionem servitutis, quæ debetur Ecclesiæ? alterius est indaginis; contra Ecclesiam 40. annos requiri, communius autumant Canonistæ ob c. 8. de Præscr. quo generaliter non pauciores quam 40. anni exiguntur. Contra hactenus dicta

78. *Dices 4.* Nihil interest, an servitus pacto et actu constituantur inter vivos, vel actu ultimae voluntatis; ergo superflua est illa divisio.

R. N. *Ant.* Si servitus constituitur actu ultimae voluntatis, sine omni traditione transit in legatarium, *L. Legatum. 80. ff. de Legat.* Quod si pacto inter vivos, traditio requiritur, ut dominium servitutis, vel servitus realiter transferatur, *L. 20. C. de Pact.* Traditur vero 1^o: per cautionem, quam praestat vendor servitutis, per se non fieri, quo minus emptor eo jure utatur, *L. 20. ff. de Servit. L. 3. §. si iter. ff. de Act. empt. 2^o.* Per usum unius et patientiam alterius, *L. 20. cit. 3^o.* Per inductionem in fundum servientis eo animo factam, *L. 3. ff. de Usufr.*

Si ait 4^o. Servitutis possessio non transit in legatarium; ergo nec dominium.

R. N. *Cons.* *Disparitas est*, quia possessio est res facti, *L. 1. ff. de Acquir. Possess.*; igitur haec non acquiritur, nisi realiter comprehendatur: dominium vero est juris; unde aditione hereditatis acquiritur.

Si ait 2^o. Servitutes §. 3. *Inst. h. t.* solis pactionibus, ut emptione, venditione constituantur; ergo traditione haud opus est.

R. D. *Ant.* Constituantur sic solum obligatorie *C. acquisitorie N.* Sed ad hoc ut acquiratur servitus, praeterea traditio in actu inter vivos necessaria est; alias tantum debetur, sive in sola obligatione est. Refert autem, sitne servitus acquisitorie constituta, hoc est, realiter translata in emptorem; vel solum obligatorie? priore enim casu datur emptori actio realis *confessoria* contra quemcumque; in posteriore solum datur actio ex contractu contra instituentem, *L. 20. C. de Pact.*

79. *Dices 2.* Sublata licet vinea, non ideo amittitur servitus illi debita; ergo haec non expirat interitu praedii.

R. D. *Ant.* Sublata licet vinea, h. e. solis vitibus in solo plantatis, non amittitur servitus *C.* Sublato ipso fundo vineæ *N.*

80. *Dices 3.* *L. 10. §. 1. ff. de Usurpat. et Usucap.* Servitutum præscriptio dicitur nusquam tempore longo procedere. Item *L. 14. pr. ff. de Servit.* excluditur usucatio servitutum rusticarum, eo quod non habeant certam et continuam possessionem; ergo servitutes discontinuae tempore ordinario, sive tantum longo, non acquiruntur.

R. Ad 1^{um}. Lex probaret nimium, si valeret, nimurum contra adversarios etiam, ne quidem servitutes continuas acquiri præscriptione longi temporis. Unde ad hanc legem Jurisconsulti passim notant, quod referri debeat ad jus antiquum, jamque antiquatum, videlicet legis Scriboniae, qua sublata fuit propria servitutum usucatio. Idem dicendum, inquit P. SCHMIER. n. 343. PICHLER hic aliisque de *L. 14.*

Si dicas: At *L. 28. ff. de S. P. U.* datur ratio, cur acquiri nequeat tempore, videlicet longo, servitus fluminis, quia *causam perpetuam* non habet: sed servitutes quasi continuæ et discontinuae non habent causam perpetuam; ergo

R. N. *min.* Nam, ut jam supra insinuatum, per *causam perpetuam* non intelligitur usus actualis perpetuus, sed jus et facultas utendi perpetuo.

81. *Dices 4.* Reparatis ædibus, quæ collapsæ fuerant, non reviviscit ususfructus, quem quis in nondum collapsis habuit; ergo non restituitur servitus restituto prædio; nam ususfructus est servitus personalis, ut dicetur *Art. seq. Ant. prob. ex L. 36. pr. ff. de Usufr.*

R. C. *Ant. N. Cons.* quoad servitutes reales cæteras. Ratio id statuendi de usufructu in ædibus constituto specialis fuit; cum enim ususfructus omne emolumenntum ex re usufructuaria, salva rei substantia, perceptibile conferat usufructuario; nimis durum fuisset proprietario, si ex ædibus, suis tantum sumptibus reparatis, omne commodum solus usufructuaris habuisset; nihil proprietarius. Unde hac æquitate naturali motus legislator id singulare de tali usufructu statuendum censuit. Aliud est de servitutibus realibus cæteris minoribus, utpote quæ rei alienæ commodum videntur delibare tantum.

82. *Dices 5.* *L. 6. pr. ff. de S. P. U.* Non amittitur servitus, nisi dominus praedii servientis libertatem sui praedii facto aliquo usucapiat; ergo præcise non *usu* non amittitur servitus.

R. D. *Ant.* Non amittitur servitus urbana, nisi etc. *C. rustica N.* Dispar autem est ratio servitutis urbanae et rusticæ; possessio enim servitutis rusticæ exercitio solo et facto utensilis comprobatur; igitur hoc omissio, nihil est, ex quo animus retinendæ servitutis argui possit: at vero servitus urbana non ita stat in *usu* et facto utensilium, ut ipsa *L. 6. cit.* innuit, sed simul in patientia domini servientis; quamdiu igitur servitutem urbanam patitur serviens, tamdiu constituta manet; nec extinguitur, dispositione legis, nisi per 10. annos serviens facto aliquo illi præscriperit. Sit exemplum: Jus eundi per fundum alienum est servitus rusticæ; hoc jus habens si eo 10. annorum spatio non utatur, jus hoc suum sive servitutem amittit. E contra jus tigni immittendi servitus urbana est; habens hoc jus, etsi intra 10. annos tignum non immittat, non ideo hoc suo jure excidit, sed insuper requiritur, sic dispomente lege, ut alter, qui immissionem tigni pati debet, hanc libertatem facto aliquo positivo usucapiat, v. g. per 10. annos obstruat foramen; si enim, obstructo foramine, habens jus tigni immittendi nihilominus quiescat, tunc primum in eo colligitur esse animus non retinendæ servitutis.

Ubi tamen observa, aliud esse præscribere *servitutem*; aliud præscribere *servituti*. Servitutem præscribit, qui eam acquirit factis, ut cundo per fundum alienum, aperiendo fenestras in vicini hortum, effundendo in ejus aream; atque ad ita prescribendum bona fides, sive juris alieni ignorantia, ut dicetur suo loco. Servituti præscribit, qui eam extinguit; quod hoc ipso facit, dum, altero jus suum non utente, ipse silet, usque dum elapsum præscriptum tempus. Nec obstat, quod serviens sciat alteri competere jus v. g. transeundi per fundum suum; nam hunc monere non tenetur; unde mala fide non agit.